

BX 1756

F3

C6

v.2



Faint text below the stamp, possibly a library or collection name.



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMÆ.

EVANGELIUM JOANNIS, VI.

IN illo tempore : Abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis. Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Jesus, et ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum. Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo magna venit ad eum, dixit ad Philippum : Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat, tentans eum; ipse enim sciebat, quid esset facturus. Respondit ei Philippus : Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas, frater Simonis Petri : Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo Jesus : Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia. Accepit ergo Jesus panes; et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus; similiter et ex piscibus, quantum volebant. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis : Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis et duobus piscibus, quæ superfuerunt his qui manducaverant. Illi ergo homines, cum vidissent, quod Jesus fecerat signum, dicebant : Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.

CONCIONES.

- | | |
|--|----------------|
| I. Laquei dæmonis qui potissimum fugiendi. | IX. Documenta. |
| II. Servorum Dei seu justorum prærogativæ in hoc sæculo. | X. Mysteria. |
| III. Fructus confessionis. | |
| IV. Fructus et commoda frequentis confessionis. | |
| V. Panes hodierni evangelii typus eucharistiæ. | |
| VI. Manna eucharistiæ typus. | |
| VII. Cur esus carniùm magnopere cavendus tempore interdicto. | |
| VIII. Circumstantiæ elemosynæ. | |

CONCIONES AUCTARII.

- | |
|---|
| I. Stimuli ad frequentem communionem. |
| II. Præparatio ad s. communionem. |
| III. Qua ratione omnes saturari, imo et panes suos multiplicare queant. |
| IV. Unde lætandum sit Christiano. |
| V. Navigium Bacchi, seu ebrietatis. |

II. PARS HIEMALIS.

003370

CONCIO I.

LAQUEI DÆMONIS QUI POTISSIMUM FUGIENDI.

I. Laqueus primus honor, consilium. — II. Pecunia, consilium. — III. Cibus et potus, consilium. — IV. Voluptas carnis, consilium. Cogitationes obscenæ, consilium. — V. Mala societas, consilium. — VI. Hæresis, consilium. Quando potissimum fugiendum hæreticorum consortium. — VII. Contentio, consilium.

THEMA.

Iesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit. Joan. VI.

Superioribus concionibus vidimus cacodæmonem armis suis instructum; nunc tempus est, ut nos ad pugnam egrediamur. Porro sicut dæmon duplicibus telis pugnat, dolis videlicet et armis; ita etiam a nobis dupliciter impugnandus est, fugiendo et cædendo. Illud fraudis erit, istud fortitudinis. Neque vero minoris artis et laudis est vincere fugiendo, quam cædendo. Novimus strenuum Hebræorum ducem, Josuen, urbem Hai expugnaturum primo fugam simulasse, postea in hostem provocatum arma vertisse, maximaque laude vicisse, Jos. VIII. Porro duplex hoc cum dæmone præliandi genus perquam necessarium est, ut docet Climacus, cap. XXVI. Cassianus, col. XIX. cap. XVI. D. Bonaventura de reform. mentis, cap. III. Cum enim quædam vitia suapte natura molestiam fastidiumque pariant, ut invidia, odium, vindictæ appetitus, impatientia, tristitia, pertinacia, etc. quædam vero delectationem, ut edere, bibere aliaque peccata carnis et sensuum aliarumque potentiarum blandimenta, quæ quo diutius mente versamus, eo fortius nos accendunt et captivant; idcirco hæc fugiendo, eorum laqueos et occasiones declinando, mentem ac sensus alio declinando vincere oportet; cum prioribus vero vitiis pes cominus conferendus, vis inferenda, maligna earum natura consideranda, etc. Quando igitur in hodierno evangelio docet nos Salvator alterum præliandi genus fugiendi scilicet dæmonis laqueos, e quibus ille unum, honorem scilicet et dignitatem regiam fugit, pugnabimus hodie more Parthorum, qui jaculis emissis fugam arripiunt; necnon cum Josue illo hodie fugiemus, post oetiduum vero reversi arma in hostem convertemus.

I. Laqueus primus est honor, quo captus omnium primus fuit ipse diabolus, et ad inferos detractus, rudentibus inferni, ut ait S. Petrus, epist. II. cap. II. Hunc fugere nos docet Christus in hodierno evangelio. Ratio est, quia status honoris est status periculosus, et quoddam præcipitium,

in quo labi proclive est, ambulare difficillimum; tum quia tales vertigine facile corripiuntur, ut leges prævaricarentur, omnes spernant; tum quia neminem monitorem, qui vacillantibus manum porrigat, habent; tum quia aliorum potius quam sui sunt, aliorumque pravis consiliis et adulationibus facillime pervertuntur. Hinc sapientes illæ arbores, vitis, ficus, oliva, ad regiam dignitatem invitata, nequaquam acquieverunt, sed sua privata commoda ei præposuerunt, Judic. cap. IX. Quod idem fecere viri omnes prudentes et cordati. S. Malachias, ut scribit S. Bernardus in ejus vita, nisi episcopi congregati anathema ei comminati fuissent, nunquam suscepisset episcopatum. *Omnem enim locum sublimem, ait S. Bernardus, velut præcipitium reformidabat.* S. Augustinus cognita episcopi sui morte, fugit ab urbe: unde serm. primo de communi vita cleric. ait: *In quo loco sciebam non esse episcopum, ne illo accederem, cavebam: et hoc agebam quantum poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer.* S. Ambrosius postulatus in episcopatum Mediolanensium, nocte ab urbe aufugit. Ita S. Gregorius papa et alii. Memorabile est illud. Pii V. pontificis dicentis: *Ego quamdiu fui religiosus, bene speravi de salute meo: factus cardinalis capere timere: jam creatus pontifex pene de ea despero.* Hoc vero pius et tanta dignitate dignissimus pontifex. Hadrianus papa secundus nullum majus supplicium de hoste posebat, quam ut papa fieret, refert Corn. a Lap. in Apocal. c. III. et in Num. cap. XI. Ex quibus testimoniis iudicium fieri potest de inferioribus honoribus. Non ergo frustra apostolus, I. Tim. III. jubet ad episcopatum assumi virum exercitatum: *Non neophytum, ne in superbiam elatus in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.* Et universim Ecclesiasticus, capite XI. ait: *Sicut perdix inducitur in caveam ut caprea in laqueum, sic et cor superbiorum.* Quare non nisi insipientes currunt in hunc laqueum, et de eo litigant cum competitoribus, quis eorum prior incidat in illum, quo modo solus rubus (lignum inutile, noxium, vile) inventus est, qui in dignitatem regiam sibi oblatam rueret, ut diximus, Judit. IX.

II. Est pecunia quia divitiæ, fomentum sunt avaritiæ: hæc autem radix omnium malorum, ut scribit apostolus, I. Tim. VI. dicens: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Laquei igitur sunt, qui involvunt et constringunt hominem multis noxiis desiderii, ut sua per fas et nefas augeat, alienis inhiet, aliena non restituat,

sua indigentibus non communicet, et ægre tandem in morte relinquat, ut Dei obliviscatur, et bona cœlestia ac pietatem negligat, ut quærat in terra magnus fieri, gloriam, pompam, apparatus sectetur, etc. Horum enim omnium radix est avaritia, quæ ex divitiis gignitur ordinarie. Nam *crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.* Ac sicut radix nutrit totam arborem, ramos, folia, fructus et qui inde nascuntur: ita avaritia nutrit omnis generis vitia, præsertim vanam ostentationem, animi fastum et elationem, fiduciam inanem cum quadam divinorum vel oblivione vel contemptu, adeoque idololatriam quamdam, ut scribit apostolus ad Ephes. V. Coloss. III. Hinc ex auro prodiit idolum aurei vituli, Exod. XXXI. quia scilicet aurum materia est idoli et fomes idololatriæ. Quam ob causam merito laudes Bapytacen oppidum Persidis, in quo, ut scribit Solinus, cap. LVI. *Mortales universi odio auri coemunt genus metalli, et in terrarum profunda abijciunt, ne polluti usu ejus avaritia corrumpant æquitatem.* Quin et natura propterea profunde id recondidit, ne in laqueum istum passim inciderent homines. Quid igitur faciendum? Docet id cit. loco apostolus cum subdit: *Tu autem, o homo Dei, hæc fuge.* Primo *Noli laborare ut dileris,* Prov. XXIII. Sed cum Salomone pete a Deo medioeritatem: *Divitias ne dederis mihi, ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam: Quis est Dominus? Prov. XXX. Homo Dei es, fuge idolum.* Deinde ne quæras talia munia, qui tractant semper pecunias, seu publica seu privata. Ut enim quinumerat et tractat assiduo pecunias, necessario inquinat et denigrat manus suas; ita et pecuniæ multæ vix tractari sine peccatis, iisque frequentibus possunt. Unde Eccles. XI. dicitur: *Si fueris dives, non eris immunis a peccato.* Et c. XXXI. *Beatus dives, qui inventus est sine macula et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic et laudabimus eum?*

Sed *Heu, quam paucos inveniemus,* ait S. Bernardus, serm. III. in Ps. *Qui habitat, qui ab hoc liberati laqueo exultent? Quam multos qui dolent, quod parum sibi videntur irvetiti, et adhuc quantum possunt, ipsi se involvere et introire laborant?*

III. Tertius est cibus et potus sapidior et copiosior, quibus capitur gula et præcipitatur homo in crapulam et ebrietatem; unde facili negotio trahitur ad alia peccata juxta id Psal. LXVIII. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum;* qualis facta est Judæis quando sederunt edere et bibere et surrexerunt ludere, Exod. XXXII. Nam *qui corporis sui carnes delicate nutrit,* ait S. Ephrem. tract. de timore Dei, *concupiscentias malas pascit.* Hinc prodeunt libido, contentiones, rixæ, bestialitas

et cæca ad omnia vitia pronitas. Quemadmodum enim pecus injecto laqueo, et homo effossis oculis facile ducitur, quo lubet, ita ebrius a dæmone. Draco non difficile vincit elephantem cibo et potu obrutum, quem alias non vinceret. Et anguillæ capiuntur in aqua turbida quæ alias difficulter capiuntur pellucida. Ita homo cibo potuque oppressus præda dæmonum fit certissima. Unde S. Bern. I. de modo bene vivendi, cap. XXV. ait: *Multi per vinum a dæmonibus capti sunt.* Denique gula et ebrietas auferunt navarcho clavum: quo fit ut navis in mari jactetur maximo periculo prædonum, allisionis et naufragii, uti dixit Sapiens, Proverb. XXIII. *Et eris, inquit, sicut dormiens in medio mari et quasi sopitus gubernator amisso clavo.* Intelligens hoc Salvator, in evangelio hodierno frugale convivium apparavit e panibus et piscibus, nec apposuit potum.

Quare nihil consultius, quam fugere occasiones gulæ atque ebrietatis, uti vitare convivia, quod fecit S. Ambrosius et Augustinus inter alia tria alibi recensita. Et suadet Sapiens dicto, cap. XXIII. dicens: *Noli esse in conviviis potatorum, nec in comensationibus eorum, etc.* Nimis periculosum est cum hoc hoste cominus pugnare. Licet enim compotatores promittant se neminem coacturos ad bibendum, suis tamen blanditiis tandem inescant et sensim illaqueant. Unde Absalon præcepit servis suis jugulare Amnon fratrem, postquam temulentus esset, prævidit enim talem in convivio absque dubio futurum, II. Reg. XIII.

Verum adeo stulti sunt mortalium plerique, ut non expectent venatores, qui laqueum injiciant, sed ipsi præveniant diabolum venatorem, et in laqueum ejus currant eumque libentissime, quasi torquem aureum sibi induant.

IV. Quartus est voluptas carnis, sive sensibus exterioribus sive imaginatione sola apprehensa. Ad primum genus pertinet species et forma elegantior seu virorum seu feminarum; neque enim minus uxor Putipharis capta est specie Josephi, quam David specie Bethsabææ, vel senes specie Susannæ. Sane Eccles. VII. mulier vocatur laqueus venatorum: *Laqueus venatorum est, inquit, et sagena cibus ejus: vincula sunt manus illius: qui placet, Deo effugiet illam, qui autem peccator est, capietur ab illa.* Mulier instar Dalilæ ligat hominem, et tradit Philisthæis, id est, dæmonibus. Hinc etiam III. Reg. XI. dicitur de mulieribus: *Certissime convertent corda vestra, etc.* Non igitur pugnando, sed fugiendo vincenda est mulier, prout monet apostolus, I. Corin. VI. inquiens: *Fugite fornicationem.* Ratio est, quam dat senior quidam apud Joannem Moschum, in Prato spirit.

c. CXIX. *Sal ex aqua est et si appropinquaverit aquae, continuo solvitur et deficit, et monachus (vir) similiter ex muliere est. Itaque si appropinquaverit mulieri, solvitur et ipse, etc.* Docuit hanc pugnantiam rationem contra mulieres Joseph adolescens, Genes. XXXIX. fugit enim dominam relicto in manibus ejus pallio. Et S. Martin. apud Surium graviter et crebro tentatus a mulieribus, ut eas effugeret, toto orbe factus est profugus: cujus hic jugis erat stimulus; *Fuge Martiniane.* Optime ergo S. Augustinus, serm. CCL. de temp. ait: *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.* Et tamen miseri mortales hoc laqueum communiter non modo nihil fugiunt, sed quaerunt diligenter, et saepe etiam multis pecuniis emunt.

Nihilominus periculosus est alter laqueus cogitationum obscenarum, quae etiam viris sanctis gravissimum saepe fecere negotium. Proinde fuga etiam elidendus est, et quamprimum mens alio convertenda et occupanda bonis aliis cogitationibus, uti docuit. B. Juniperus socius S. Francisci, qui conferens cum fratribus de ratione vincendi tentationes carnis, dicenteque F. Simone Assisio: *Ego indignitatem et feditatem peccati considero, fratre vero Ruffino: Ego humili prostratus multis lacrymis auxilium Dei et Deiparae imploro;* subjecit sententiam suam Juniperus: « Ast ego, inquit, statim fores cordis occludo et multas variasque meditationes et sancta desideria seu custodias fidissimas oppono, ac pulsantibus foris cogitationibus intus ego respondeo: Auferte vos hinc, jam locus occupatus est, nec alios capit. Ita pestilentem turbam abigo. » His auditis dixit fr. Aegydius: *In tuam, Junipere, sententiam eo: profecto enim fuga contra hoc vitium securissima pugnandi est ratio,* Annal. Franciscan. I. p. lib. VI. cap. XXXVIII. Causa porro in promptum est, nam si turpi tentationi te opponas, cogitando magis commoves imaginationem ejus, indeque concupiscentiam et carnem magis accendis.

V. Quintus est mala societas, quae et ipsa blande se insinuat, nec melius vinci quam fuga potest. Nam si junxeris te sociis malis, facile ab iisdem abriperis, et paucissimi tam fortes et constantes sunt, ut tot pravis exemplis, sermonibus, invitationibus, irrisionibus, minis, etc. impiorum, resistere possint ne ad eorum se mores inflectant. Pravos enim socios aut imitari aut insectari necesse est. Utrumque periculosum. Atque ut carbonem igniti carbonem accendunt frigidum, ita socii mali bonum pervertunt. Unde Eccl. XIII. dicitur: *Qui tetigerit piecem inquinabitur ab ea, qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Experti sunt Hebraei, de quibus, Ps. CV.

dicitur: *Commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum,* ut patet ex I. Judicum, cap. II. et aliis. Expertus est suo malo Petrus, qui quia fugere noluit, sed malis se conjunxit, abnegavit; melius adolescens qui et ipse secutus Christum, cum apprehenderetur, aufugit, ne et ipse abnegaret. Ita sapuit Tobias adhuc puer, qui *Cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium, et pergebat in Jerusalem ad templum Domini,* Tob. I. Denique hanc fugam reproborum inculcant ss. litterae, Num. XVI. *Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere, quae ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum,* Prov. IV. *Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via, fuge ab ea nec transeas per illam, etc.* et Act. II. *Salvamini a generatione ista prava.* Qui non vult aspergi farina, fugiat molendinum; qui non vult atrorem vestibis induere, fugiat fabrorum officinas.

VI. Sextus est haeresis, cujus etiam fraudibus et blanditiis difficile est resistere; ideoque consultius est fugere. Audi S. Leonem, serm. V. de jejunio: *Humiliter irrepunt, inquit (Haeretici) blande capiunt, molliter ligant, occulte occidunt.* Periculosa valde est illorum blandiloquentia, et affabilitas magis quam meretricum. Ovum vocem praeseferunt, reipsa lupi sunt, adeoque fugiendi quoad fieri potest, exemplo agni, qui (ut est in fabulis) reclusus domi et jussus a matre, quae pastum iverat, nemini aperire nisi sibi, lupo pulsanti fores et matris vocem imitanti dixit: *Non aperio, nam etsi vox ovissat, per rimulas tamen lupum video.* Hunc certe daemonis laqueum vitandum etiam praecipit apostolus ad Titum, c. III. inquit: *Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devota.* Et S. Joannes, epist. II. jubet ne haeretici in domum recipiantur, aut *Ave eis dicatur, idque ipso facto praestitit, cum ingressus balneum, vidensque ibi Cerinthum, inde se proripuit dicens: Fugiamus ocius, ne balneum in quo est Cerinthus veritatis adversarius extemplo corruat,* uti refert Irenaeus, lib. III. cap. III. additque S. Hieronymus dial. contra Lucif. post abitum Joannis corruisse balneum et Cerinthum oppressisse. Similiter S. Ignatius S. Joannis discipulus in ep. ad Trallianos ait: *Fugite impias et Deum abnegantes haereses: diaboli enim sunt adventiones, serpentis malorum auctoris, qui per mulierem seduxit Adam.* Sermo ergo et doctrina illorum venenum sunt, quod sensim occupat totum hominem; et ut ait apostolus, II. Tim. II. *Sermo eorum (infusus auditoribus) ut cancer serpit.*

Ceterum tribus in casibus fugiendi, sunt, non humano tantum sed etiam divine jure. Primo,

cum est periculum, ne tu vel tui ab eis pervertantur. Secundo, cum scandalum aliis creas, ut putent te haeticorum patronum et fautorem esse. Tertio, cum in eorum susceptione videris eorum haeresi favere aut communicare.

VII. Septimus est contentio et ira proximi, quam fuga et cessione vincendam, non verbis aut verberibus, docent ss. litterae; uti Sapiens, Proverb. XX. *Honor est homini, qui separat se a contentionibus.* Et apo. ad Rom. XII. *Non vosmet ipsos defendentes, charissimi, sed date locum irae,* id est, fugite, tacete, cedite irato, ut exponit S. Ambrosius. Et S. Basilius: *Da, inquit, locum irae, quasi torrenti, qui obvia quaque impetu suo rapidissimo divolvit.* Objicit saepe daemon hunc laqueum pedibus nostris, uti objecit Davidi, cum bis instigavit eum per servos ut occideret Saullem inimicum suum deprehensum clanculum. Dicebant enim illi: *Ecce dies de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis,* I. Reg. XXIV. et XXVI. nec multum abfuit quin hoc laqueo captus ultionem quaesisset David. Ait enim: *Cogitavi ut occiderem te.* Verum maluit fugere David inimicum suum, quam occidere. Secessit igitur ex oculis et ditione Saulis et habitavit cum rege Geth, I. Reg. XXVII. Dicebat enim: *Aliquando incidam in manus Saulis (ubi scilicet debebo vel occidere vel occidi) nonne melius est ut fugiam? Fugiam ergo manus ejus.* Idem docuit Christus, quando adhuc infans fugit iram Herodis. Ut ergo cervam docet hinnulum suum fugere insidias venatorum cursu eum exereendo et ad saltus veloci fuga ducendo, sic docuit nos Christus fugere insidias daemonis. *Fuge igitur, dilecte mi, assimilare caprae hinnuloque cervorum, etc.*

CONCIO II.

SERVORUM DEI SEU JUSTORUM PRÆROGATIVÆ
IN HOC SÆCULO.

I. Lux interna, non reperitur in impiis. — II. Protectio divina, non reperitur in impiis. — III. Sustentatio corporis commoda, non reperitur eodem modo in impiis. — IV. Precum exauditio, non reperitur in impiis. — V. Sanitas animae, non reperitur in impiis. — VI. Odor famae bonae et auctoritas, non reperitur in impiis. — VII. Spei futurorum honorum, non reperitur in malis. — VIII. Lætus ex hac vita transitus, non reperitur in impiis.

THEMA.

Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia.
Joan. VI.

Inter alias causas, quas superiore dominica numeravimus, cur plures serviant mundo et

vitiis, Deo et virtutibus neglectis, non est minima illa: Error quidam generalis, in quo degunt homines, pertinaciter persuasi, quasi omne virtutis et servitii divini præmium differatur in futurum, nullum prorsus exhibeatur in hoc saeculo. Iter ergo virtutis sterile et omni destitutum bono ac solatio praesenti existimant. *Sic beato Job insultabant reges: et Tobiae parentes ac cognati ejus irridebant vitam ejus dicentes: Ubi est spes tua, pro qua elemosynas et sepulturas faciebas?* Tob. II. Sic impii dicebant apud Malachiam, c. III. *Vanus est, qui servit Deo* (Chald. nihil lucratur qui servit coram Domino) *et quod emolumentum, quia custodivimus praecepta ejus?* Verum perniciosum hunc errorem redarguit imprimis Ecclesia in hac dominica, dum jubet Dei servos medio in jejunio lætos esse atque hilares: *Lætare, Jerusalem,* (incipit hod. missam) *et conventum facite omnes qui diligitis eam, gaudete cum lætitia, etc.* Redarguit historia hodierni evangelii, in quo Christus pavit servos et auscultatores suos in sterili deserto. Redarguit historia exitus Israelitici de Aegypto per desertum ad terram promissionis, quam historiam hodie incipit legere Ecclesia. In eo autem itinere aspero quidem et diuturno, plurima beneficia, emolumenta et benevolentiae signa exhibuit Deus populo suo, quibus mire recreatus et confortatus praeferre debebat peregrinationem et solitudinem suam Aegyptiacae servituti. Porro sicut illa Hebraeorum peregrinatio representavit iter virtutis, quod agunt omnes justi, qui de mundo ejusque servitute exierunt; ita beneficia quae Hebraeis in itinere illo exhibuit Deus, ad vivum representant commoda illa et bona, quae praebet Deus servis suis in praesentis vite peregrinatione, uti nunc videbimus.

I. Columna ignis duxit eos per desertum invium, ita ut moneret eos, quando progrediendum, quando sistendum esset; praecedebat enim columna quando erat eundem: stabat quando standum. Nec ducebat eos per viam terrae Philisthim, ne hostium multitudine et saevitia terri revertentur in Aegyptum, Exod. XIII. Porro angelus movebat et impellebat columnam illam. Ita servi Dei habent imprimis internam lucem, qua acutum vident, quae videre debent; uti primo Deum ejusque attributa, beneficia et providentiam in mundi gubernatione, bonorum vel malorum immissione. Secundo, norunt seipsos, suos defectus, suam imbecillitatem, unde et sibi cavent. Tertio, res ad salutem necessarias, quae credenda quaeque facienda sint. Quarto, peccatorum gravitatem, eorumque laqueos, pericula, tentationes. Quinto, quas ad statum et munus suum pertinent. Sexto, praevident novissima,

sibi que antequam veniant, mature prospiciunt. Denique norunt mederi in tempore suis defectibus et lapsibus. Unde representantur Apocal. IV. per sancta illa animalia, plena oculis ante et retro. « Circumspecta est vita sanctorum, (ait S. Greg. hom. VII. in Ezech.) ne sic sit libera ut superba sit; nec sic sit humilis, ut formidolosa; ne sic sit parca, ut tenax sit; ne sic sit misericors, ut effusa sit. » De iisdem ait Sapiens, Prov. I. *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* « Pennati isti, (inquit in eum loquens scribens Salomon) sunt sancti et electi viri, qui habent pennas fidei, spei et charitatis cæterarumque virtutum, quibus ad cælestia contemplanda volant; habent et spirituales oculos, quibus et insidias hostis antiqui prævident et peccata præcavent. Frustra ergo jacitur rete ante oculos pennatorum, id est, laqueus insidiarum diaboli objicitur sanctis et electis viris, quia facile superare possunt insidias diaboli, quia suam conversationem habent in cælis. » Non enim aspiciunt isti faciem peccatorum, sed tergum, id est, non attendunt ad voluptatem aut commodum, quod propinant, sed ad damna, quæ consequuntur, dolorem, ignominiam, pœnam, vermem conscientiæ, iudicium, infernum. Ad hæc angelus custos tales illuminare et dirigere in actibus suis solet, uti experta imprimis est S. Francisca Romana, quæ eo velut magistro utebatur in omnibus negotiis.

Non servi diaboli, de quibus dicitur, Isa. LIX. *Palpavimus sicuti cæci parietem et quasi absque oculis atrectavimus, impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.* Velut enim cæci ruunt in quævis scelera. Quæ enim major cæcitas esse potest, quam vendere æterna bona pro temporali et modico lucro vel voluptate? Mortem toties videre oculis, et non præcavere? Non timere infernum? Sub peccati jugo gemere, nec illud tamen abjicere? Vulneribus suis cruciari, nec tamen illis mederi velle? Sane in terra Gesen sentiebant Ægyptii uti tenebras palpabiles, ut nemo suo moveri loco auderet; ubi tamen habitabant Hebræi, lux fuit: ita in hoc mundo lucem habent justis, tenebras iniqui. Hoc vero quantum est malum? Quantum illud bonum?

II. Per columnam protexit eos partim ab hostibus, uti eum clausit agmen Hebræorum sustinuitque impetum Ægyptiorum insequentium; dispescuit Hebræos ab Ægyptiis, hos obtenebrando, illos illuminando, et cum Deus per eam prospiciens interfecit exercitum Ægyptiorum, Exod. XIV. partim ab æstu solis, qui in deserto illo maximus esse solet. Nam *castra ombumbrabat nubes*, ait Sapiens, c. XIX. Et Moyses, Deut. XXXII. Deum instar aquilæ super eos voli-

tasse et expandisse alas suas, assurapsisse et portasse in humeris. Hunc in modum protegit servos suos et instar aquilæ super eos volitat; utque aquila subinde oculos ad nidum et pullos suos reflectit: *Ita oculi Domini super justos.* Hinc justis semper læti et securi sunt, quia sub umbra Dei sese constitutos intelligunt. Hoc etiam notatum eodem Exod. c. XIV. cum dicitur Pharaonem insecutum esse Hebræos cum carribus et equitibus suis omnibus: at *illi* (Hebræi) *egressi erant in manu cæcelsa.* Quæ verba Chaldaeus vertit: *Egrediebantur capite discooperto.* Ita nimirum justis capite intecto versantur in hoc mundo et mediis etiam in periculis; quia non egent umbra pilei, cum sciant se versari sub umbra alarum Dei. Ita S. Martinus cum incidisset in latrones mortem sibi intentantes, dicebat se nunquam minus timuisse, quod sciret Deum adesse suis maxime in tribulationibus: ut est in ejus vita. Ac licet non ita suos protegat Deus, ut nihil pati velit, protegit tamen ea ratione, ut tribuat eis robur quo sustinere tribulationes et quidem alacri animo possint. Cujus rei exempla plurima occurrent legenti ss. litteras, velut de tribus pueris, de Daniele, Susanna, Job, Tobia, Abrahamo, Isaac, Jacob, Josepho, Davide, Jona, etc. Imo habent justis in seipsis præsens et paratum subsidium plurimorum militum in omnibus angustiis. Quemadmodum enim ad cor, cum afflicatur, omnis undique concurrat sanguis velut auxilium laturus; ita cum anima justis premitur, confestim omnes ad eam concurrunt virtutes, ut modis omnibus opitulentur. Nunc excitat fides, spes, charitas; nunc obedientia, nunc patientia, etc. fides docet eas a Deo immitti in animarum medicinam, spes ostendit brevi te liberandum et præmiandum, charitas monstrat te Christo similem fieri, obedientia subjeicit voluntati divinæ, patientia confortat, etc.

Mali contra destituti sunt hoc bono, quia carent Dei præsidio, unde expositi sunt hostibus et æstibus tentationum. Sic de impiis Chananeis aiunt Josue et Caleb. Num. XIV. *Ne timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem, ita eos possumus devorare; recessit ab eis omne præsidium.* (Hebr. habetur: *recessit ab eis umbra eorum*) *Domini nobiscum est.* Sunt ergo sicut grex sine pastore, navis sine gubernatore, exercitus sine duce. Ad hæc non habent in seipsis præsidium virtutum, sed inveniuntur inermes ab ingruentibus tentationibus et tribulationibus; unde facillime vincuntur, et per impatientiam duplicant cruces suas; rursus a diabolo velut panis devorantur.

III. Quæ ad corporis sustentationem erant necessaria suppeditavit, uti manna de cælo, aquam de Petra; vestes eorum et calceamenta non sunt attrita, ut patet Deut. VIII. et XXIX. Ita etiam justis necessaria corporis non sinit Deus deesse, ac licet abundantiam ordinarie non tribuat, utpote periculosam, sufficientiam tamen exhibet; quemadmodum et Israelitis ea lege dedit manna, ut non plus colligerent quam edere poterant, nec servarent in posteram diem (mox enim altero die incipiebat scatere vermibus) Exod. VI. docet in pluribus locis sacra Scriptura: Tob. IV. ait parens filio: *Noli timere, filii mihi: pauperem quidem vitam ferimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato et fecerimus bene.* Idem multis confirmat David, Psalm. XXXIII. *Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum; divites* (Hebr. leones seu leunculi) *eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuuntur omni bono.* Et Psalm. XXXVI. *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas, quoniam brachia peccatorum conterentur.* q. d. illi condunt in Deo, et ideo satis habent, nec sunt avari nec prodigi; ideoque nec egeni vel ære alieno obstricti, neque otiosas retinent opes, quibus abutantur; hi vero qui in suis fraudibus, industriis et mendaciis confidunt, deficient. Adjicit et hoc: *Non confundentur in tempore malo, ut scilicet mendicare cogantur, et in diebus famis saturabuntur.* Et paulo post: *Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Visne plura? Apost. I. Tim. IV. ait: *Pietas ad omnia utilis est promissionem habens vitæ, quæ nunc et futuræ.* Habemus ergo differentiam inter bonos et malos, quoad necessaria vitæ. Quod si dicas, sæpe aliter fieri, mendicare et egere bonos, abundare malos, resp. primo, quod attinet ad mendicitatem, loqui Davidem de filiis eorum, qui aliorum miserabantur dando eleemosynas, quod vero ad sustentationem qualemcunque attinet, justos ea non privandos. Sed multi cum extrema famis necessitate conflictantur, ais. Sed quid si justis non sint? Sane peccatoribus non promisit necessaria Deus sed bonis, Matth. VI. *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Plurimi mendici divinis nunquam intersunt, quia ea non curant, quid mirum si non adjiciantur eis terrena? Quod si justis sint, saltem patienter erunt, adeoque sua paupertate contenti, quemadmodum fuit Lazarus, hoc autem majus bonum est, quod illis cumulabitur in cælesti gloria.

Impiorum egestatem inter alia plurima testatur obsidio Samariæ sub Achab rege impio;

obsidio Jerosolymæ perditissimæ sub Tito et Vespasiano. Sed quid longe abimus? Exempla quotidiana sunt.

IV. Exaudivit Deus preces eorum, quoties aliquid petiverunt; imo ad desideria et murmura eorum fecit, quæ volebant, amaras aquas dulces fecit, dedit panem de cælo et carnes, dedit aquam de Petra, sanavit ignitos serpentum morsus. Denique tam facilis fuit ad eorum postulata, ut Moyses dixerit, Deut. IV. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Eundem in modum adest justis omnibus, ita ut liberum et securum habeant accessum ad eum quidvis impetrandi. Habent enim expressam Christi promissionem, Joan. XV. *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis et fiet vobis.* Hoc vero quantum bonum est? « Quid enim hoc est aliud, (ait card. Bellarm. super Ps. conc. IX.) quam constituere hominem justum dominum orbis et claves ei concedere cælestium divitiarum, et ad quemdam modum omnipotentem illum facere? Quanti quæso faciunt homines, quod aliquis apud regem ea gratia polleat ut possit de eo et ejus regno facere quidquid velit? At si hæc ita se habent, quanti tandem fieri debet, quod ea gratia valeant homines justis apud Regem regum, etc. » Idem ostendit ex Psalm. XXXIII. ubi ex eo probat David justum habere vitam et dies bonos, quod *oculi Domini super justos, et aures ejus ad preces eorum.* Si enim prævideant mala ventura, clamant ad Deum, et inveniunt aures ejus apertas. Si non prævideant, vigilat super ipsos Deus, et vel monet ut clament, vel alias avertit mala. Probatque hoc exemplis David subjeiciens: *Clamaverunt justis, et Dominus exaudivit eos.* Josue solem stare fecit, Ezechias eundem retroducere, Elias aquas in nubibus suspendit et cum voluit laxavit, alii alia mira impetrarunt, quemadmodum et sancti legis novæ, Gregorius Thaumaturgus, Martinus, Antonius, Hilarion, aliique innumeri. Nonne S. Dominicus, cum diceret amico nunquam non a Deo sese exauditum, moxque ab eo moneretur, impetrare suis precibus, ut magister Reginaldus vir ejus ævi excellens, sed de religionis habitu nihil cogitans, susciperet ejus Adinem, oravit, effecit; et cum mane fratres canerent: *Jam lucis orto sidere,* venit Reginaldus et petiit ejus habitum. Idem cum socio peregrinæ linguæ ambulans, precibus obtinuit, ut alter alterum intelligeret: ut in ejus vita.

Sed cur ego, inquis, et alii multi hoc bonum non experimur? Dico secure, quia justis non es-